UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Victor & Corona MM. 14. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70962

Visual Library

mavit, uterum deteſtans in perniciem Iovis fœcundū. Iulia vaticinatione perculſa, fœtum necquidquam depellere abortu inſtitit, nato etiam vim allatura, niſi pater vetuiſſet, utiq; enim Diis ad unum puerum perdendum ſatis fore virium. Contigit deinde, PONTIVM, audito Chriſtianorum carmine, quo Deorum vanitas irridebatur, Religionis amore capi; hauſtam etiam patri inſtillavit, purgataq; à Deorum larvis domo, primū id formidatæ à dæmonibus indolis ſpecimen dedit. Patris mortui dignitate aditâ, Philippis Imp. familiari uſu conjunctus eſt, qui cùm in milleſimum urbis annum ſacrificiū Diis pararent, ab eâ mente PONTII oratione deducti, Chriſto nomina dederunt, ejuſque Numini Romanum Imp. dedicarunt. Valeriano & Gallieno imperantibus, accuſatus impietatis PONTIVS, & equuleo impoſitus, machinam precibus rupit. Vrſos in ſe incitatos cicuravit, rogum extinxit, gladio denique cervices ſubjecit, uſitatâ Sanctorum modeſtiâ, quorum plerique capite imminuti ſunt, ſuperbis puto inſtituendis hâc potiſſimùm parte indomitis. *Ex Surio.*

SS. VICTOR & CORONA MM.
14. *Maii.*

AVſpicatiſſima nomina ſuoſq; triumphos loquentia, VICTOREM & CO-

CORONAM damus. Qui tamen fortitò hæc accipis, laborioſæ felicitatis omen accipere te memento; nam cum Victore quis Hercules ſe componat? Age numeremus Magni Herois labores. I. Digitos articulatim elidendos ſine gemitu præbuit. II. In Fornace accensâ triduum deſedit. III. Carnes venenо adipatas concoxit. IV. Nervos diſtendi, ſolvique compagem corporis ridens tulit. V. Oleum fervefactum eodem quo gelidam vultu hauſit. VI. Suſpenſus facibus ardentibus uſtulatus eſt. VII. Venenum aceto temperatum pro melle bibit. VIII. Configendam utriuſq; oculi pupillam obtulit. IX. Pedibus attractus prono capite triduum pependit. X. cùm degluberetur, tyranno tamen inſultavit. Hæc invictâ patientiâ perpeſſo quid mirum eſt biſſenos Angelos cælo coronam attuliſſe, & minorem inſuper alteram pro CORONA militari fœminâ, quæ ſic excarnificatũ felicem tamen beatumque auſa dicere digna Deo viſa eſt, quę non agones tantùm illius, ſed præmia etiam aſpiceret. Annum conjugii alterum, vitæ decimum ſextum agebat, quo propius miraculo fuit non trepidaſſe, cùm bina palmarum cacumina ad terram ingenti depreſſa niſu cerneret, quæ à ſe invicem iterum diſceſſura mediam diſtraherent. Alligari tamen ſe ſuſtinuit, & lace-

lacerato corpore, integrum animũ cælo intulit. VICTOR gladio cæsus eã secutus est: sic olim ad astra itũ. Nũc coronę viliùs veneunt. Nullæ nos palmæ distrahunt; animũ à mũdo avelle, Coronam spondeo, & Victorẽ appellabo. *Ex Sur.*

SS. PETR. PAVL. ANDREAS, DIONYSIA MM. 15. *Maii.*

ITerum triumphantem adolescentiam damus, ne quis magnam virtutem annis metiatur. Imperante Decio, Lampsaci, in ipsâ turpitudinis patriâ, PETRVS adolescens adorare Venerem jussus; ego illam, inquit, cujus vita perpetuum probrum fuit? quæ ex lupâ facta Dea est, neque aliâ gratiâ templis à vobis recepta est, quàm quòd omnium mortalium inverecundissimè peccârit? Hujus dicti libertatem PETRVS in rotâ jussus luere, omnibus confractis ossibus, nec vultum nec animum mutavit; donec gladio ejus patientia finita est. Troadem deinde properanti Proconsuli Nicomachus, audacior quàm fortior, suam in Christum fidem jactavit, sed sublimis abreptus tormẽta non tulit, turpisq; transfuga, ejurato Christo, vix horulam supervixit, quâ in rabiem actus commãsam dentibus linguã cum infelici animâ evomuit. Ejus casum miserata Dionysia, sedecim annos nata, illico ad quæstionem, deinde ad lupanar